

Lateinische Fassung der Stadtrechtsurkunde (aus dem Mecklenburgischen Urkundenbuch I (MBU), Schwerin 1863, Nr. 433).

Nach einer im Hauptarchiv zu Schwerin befindlichen, durch die Notare Clandrian und Rikemann vom Original genommenen Abschrift, mit Hinzuziehung einer Abschrift aus dem Ende des 15. Jahrhunderts und einer ziemlich fehlerhaften Copie von der Hand des Secretärs Simon Leupold.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Nicolaus dominus de Rostock omnibus in perpetuum. Notum facimus tam presentibus, quam futuris, quod dilecti nobis cives nostri de Malchowe nobis humiliter et devoti supplicarunt, ut ipsis iura Zwerinensis civitatis per omnia conferremus. Nos igitur eorum postulationi grato occurrentes assensu ac eorundem desiderio satisfacere cupientes, sicut petiverunt, ipsis iura Zwerinensis civitatis conferimus et donamus.

Sunt autem hec iura civitatis de Zwerin:

- (1) Pro capite caput.
- (2) Pro manu manus.
- (3) Quod si vulneratur quis ad profunditatem unguis et longitudinem articuli, reus damnabitur in sexaginta solidos, qui cedent in partem regie potestatis, et satisfaciet pacienti in viginti quattuor solidos.
- (4) De plaga nigra potestas habebit viginti quattuor solidos et paciens duodecim solidos.
- (5) Pro alapa paciens quattuor solidos et potestas totidem habebit.
- (6) Qui pacem domus violaverit, capitali sentencie subiacebit.
- (7) Si femina impudica viro probo fuerit convictiata in presentia duorum proborum virorum, potest illi licite bonam alapam dare.
- (8) Si quis duplum habuerit mensuram, magnam videlicet et parvam, magnam recipiat et parvam eroget, damnabitur sentencia capitali.
- (9) Molendinarius reciepiet mensuram de singulis modiis institutam, que matta vulgariter nuncupatur.
- (10) Qui civitatis statuta infregerit, tres marcas denariorum dabit, duas civitati, terciam potestati.
- (11) Omnis solidus pacis consulibus deputatur.
- (12) Si decreverint consules super civitatis officia magistrum civium ordinare, et excedant subditi, due partes satisfactionis consulibus, tercias magistro civium debetur.
- (15) Preda campestris potestati pertinet, non magistro.
- (16) Nullus dabit hereditatem suam sine consensu heredum suorum.
- (17) Si moritur quis heredum presentia carens, assumpt illam consules caussa rei servande usque ad anni terminum, quo revoluto, si nullus heres venerit, ad manum transeat potestatis; debet autem hereditas septima manu reddi.
- (18) Si moritur quis et heredes duos reliquerit, mater volens nubere alteri prius dividet hereditatem.
- (19) Si moritur quis heredum illorum, hereditas transibit ad fratrem, omnibus defunctis redibit ad matrem.
- (20) Si mater securitatem poterit prestare, manebit tutrix, similiter et pater.
- (21) Si moritur aliqua relinquens heredem, et pater separans ipsum a se ducat uxorem et generat ex ea parvulos, mortuo patre separatus heres redibit ad hereditatem patris.

- (22) Si quis extra civitatem manens querimoniam de cive fecerit, potest se civis cum quolibet defendere; alienus vero cum cive aliquo se defendet.
- (23) Quicunque autem homo proprie fuerit conditionis, si infra civitatem manserit, ab impetione servitutis cuiuslibet liber erit.
- (24) Preterea quicquid consules civitatis ad communem usum ordinaverint, civitas ratum observabit.
- (25) Si quis vero debitor coram iudicio commonitus est debitum solvere nequiens, domum suam creditor i deponet; sed creditor illam tribus vicibus infra sex septimanas coram iudicio presentabit, quam si debitor tunc non redemerit, in suos usus convertet creditor domum ipsam.
- (26) Dedimus etiam eidem civitati quadraginta mansos cum omni iure et utilitate. Dedimus insuper ei liberam facultatem pellendi porcos et pecora super Geline adeo remote, ut ipso die possint redire ad civitatem. Et ibidem ligna secabunt ad comburendum et edificia construenda.

Ut ergo memoratis civibus de Malchow a nostris successoribus hec omnia permaneant firma et inconvulsa, ipso presenti scripto cum appensione sigilli nostri et testibus subscriptis irrefragiliter construenda communivimus.

Testes hi sunt: Helyas custos, Reinerus, canonici de Gustrow; Hinricus Gamba, Baroldus dapifer, ordanus, Hinricus Grubo, Bernardus de Wyentorp, milites; Didericus de Sandow, Wolterus de Lussow, cives de Gustrow; Rodolphus, Wernerus, Amelingus, Henricus, cives de Malchow, et alii quam plures.

Acta sunt hec Gustrow, anno gratie MCCXXXV, secundo idus¹ Marcii, regnante glorioso Romanorum imperatore Friderico. Datum per manum Cunradi scriptorius.